

61. *An una cum citatione sit necesse, vel saltem consultum, transmitti reo tenorem libelli?* — Cæterum necesse non est, quod una cum citatione transmittatur reo tenor libelli per actorem judici presentati. Bartolus in l. *Inter accusatorem*; § *Pro declaratione*, ff. *de Public. judic.*; Gailus, l. I. *Pract.* observat. 51, n. 2. allegans insuper Panormitanum, Jasonem, et communem aliorum. Provide nihilominus facit, qui libellum citationi inseri curat, eumque una cum citatione reo transmittit: nam tunc dilatio deliberatoria super libello, et an iudicio contendere velit, nec ne, non amplius reo citato indulgenda est, eo quod per litteras illas citatorias super negotio plene instrui, sicque deliberare potuerit, cit. cap. *Præterea*, juncta Glossa, § *Plene potuit*, et Abbate n. 1 et 2; et doctoribus ibid. *de Dilatione*.

62. *V. Debet in citatorio exprimi locus iudicii.* V. — Requiritur ad citationem, quod in citatorio exprimat locus iudicii, in quo reus citatus necesse habet comparere. Ratio est, quia imprimis citatio ratione loci incerta est nulla, cap. ult., juncta Glossa, § *Vel indeterminate, de Rescript.*; et l. *Si ut proponis. C. Quomodo et quando iudex, etc.* Ignoraret quippe citatus, quo pergere, ac ubi comparere deberet. Deinde requiritur expressio loci iudicii, ut citatus intelligat, an iudex non excedat fines suæ jurisdictionis, sive territorii; alioquin enim venire non tenetur: nam extra territorium jus dicenti impune non paretur, cap. ult. *de Constitut.* in 6. Item, ut citatus videre possit, num locus ad quem citatur, sit tutus, ac securus ad eum accessus pateat: quia non tenebitur comparere in loco manifeste non tuto, c. *Accedens. Ut lite non contestat.* et Clem. *pastoralis. § Notorium quippe, et seqq. de Sent. et re iudicat.*, cum concordantiis. Quinimo citatus ad locum non securum, potest uti exceptione loci non tuti: et si hanc iudex admittere nolit, infert injustum parti citatæ gravamen, a quo ea licite appellat; haud obstante, quod iudex fuerit delegatus cum clausula, « *Appellatione remota*; » ut est textus clarus in c. *Ex parte*, 47; *de Appellat.*

63. *VI. Ac dies sive terminus comparendi in iudicio.* — VI. Requiritur, ut in citatorio exprimat dies, sive terminus comparendi in iudicio, certus, justus atque opportunus. Et quidem oportet exprimere diem, vel terminum certum comparendi, tum ut sciat citatus, an dies illa sit juridica: etenim diebus

feriatis (nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat) nemo ad iudicium venire compellendus est, cap. ult. *de Feriis*; tum ut noveat citatus, quando in iudicio comparere teneatur; simulque, ut si is cessante justo impedimento non comparuerit in termino præfixo, contra eum veluti contumacem procedi valeat.

64. *Non item certa diei hora.* — Cæterum certa diei hora comparendi non necessario in citatorio exprimenda est (quidquid sit de speciali quorundam tribunalium consuetudine, etiam horam comparendi in citatione exprimentium), sed sufficit exprimere diem: quia jam intelligitur quis citatus ad horam consuetam, qua congrue possit, ac soleat actus ille tali die expediri, juxta textum notabilem in c. *Consuluit. 24. de Offic. delegat.*, ac notat Abbas ibid. n. 5.

65. *Et qua diei hora tunc citatus venire teneatur?* — Et notanter additur, « qua congrue possit, ac soleat. » Siquidem, quando non exprimitur in citatione certa hora comparendi, tunc secundum qualitatem actus videtur tacite illa hora diei præfixa, qua congrue possit, ac soleat actus ille inchoari atque fini. Sic citatus ad electionem faciendam, tenetur mane comparere: quia non nisi tali tempore solet electio inchoari, propter Missam de Spiritu sancto eidem præmittendam. Econtra citatus ad actum iudicialem, qui potest quacumque diei hora incipi et fini, debet comparere qua hora maluerit in die statuto; dummodo compareat tam tempestive, ut iudex de die adhuc possit perficere actum illum. Quod si tamen alicubi iudex solitus fuisset iudicare certa dumtaxat hora diei, tunc citatus simpliciter ad diem absque determinatione alterius horæ diei, debet comparere hora illa, qua iudex solet comparere: siquidem in iudiciis ea, quæ sunt moris et consuetudinis, attendi debent, per textum in l. *Quod si nolit. § Quia assidua. ff. de Aedilit. edict.*, et c. *Ex litteris*, 11; *de Constitut.*, ibi: « Cum tam juris canonici, quam nostri moris existat, » cum similibus. Abbas in cit. c. *Consuluit*, n. 5; *de Offic. delegat.*

66. *Num iudex possit terminum citationis prolongare, etiam altera parte invitæ. Remissive.* — Num autem iudex possit terminum citationis a se factæ prolongare atque extendere ad sequentem diem, etiam altera parte litigantium invita, commodius dicetur infra, tit. 14, *de Dolo et contumacia*; § 2, n. 68, et seqq.

67. *Citatio est necessaria quoad absentem.* — Quæritur V. Quanta sit necessitas citationis in iudiciis? Resp. Citatio adeo est necessaria, ut ipsa quoad absentem omitti non possit, eaque omissa iudicium reddatur nullum. Ita communis; et patet ex can. *Caveant*, et can. *Omnia*, 3. q. 9, et c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, 10. juncta Glossa, § *Non conventi. de Constitut.* et Clem. *Pastoralis. de Sent. et re iudicat.* cum similibus: ubi sententia contra absentem, et non legitime citatum lata, censeatur irrita. Quinimo non solum in iudicio ordinario, sed etiam in summano, omnimodis requiritur citatio rei absentis, c. *Quoniam*, 11. *de Probatione*, et Clem. *Sæpe contingit; de Verb. signif.*

68. *Estque fundamentum iudicii. Et censeatur esse juris naturalis, et divini.* — Accedit ratio, quia citatio spectat ad naturalem defensionem, sicque nulli est deneganda; cum nemo inauditus condemnari debeat. Unde et citatio dicitur esse principium ac fundamentum iudicii, seu prima pars ejus, § fin. *Instit. de Poena temere litigant;* et notat Glossa in d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, § *Non conventi, de Constitut.* Quinimo citatio fuit inducta, et adhibita circa mundi originem ab ipsomet conditore naturæ, quando Deus Adamum post suam prævaricationem citavit in paradiso, *Genes.*, III, 9, dicens: Adam, ubi es? Unde merito ea censeatur esse juris naturalis, et divini, quod nec per principem tolli potest. Abbas in cap. 1, n. 6, *de Causa possess. et propriet.*, juncto textu ibidem, dum Pontifex inquit: « Nos nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire. » Ubi ponderandum ly *Nec possumus*, quod importat necessitatem.

69. *Quoad præsentem non requiritur alia citatio.* — Dicitur notanter in data n. 67, conclusione, *quoad absentem*. Nam quoad præsentem non requiritur alia citatio: hæc enim solum fit ac requiritur, ut citatus veniat; ergo, ubi is jam est præsens, cessat citandi necessitas. Joan. Andreas in cap. ult., n. 4, *de Electione*, in 6, et Abbas c. *Inter quatuor*, n. 2, *de Majorit. et obed.* hinc inferens, quod sufficiat casu venisse reum ad iudicem, licet citatus non fuerit: quanquam in continenti respondere non teneatur, si tale sit factum, quod indiget majori deliberatione.

70. *Solvuntur jura, ubi absens, et non citatus, videtur per Papam condemnatus.* — Si dicas. In can. *Scelus*, 2, q. 1 et c. *Cum olim*, 12, *de Sent. et re iudicat.*, videtur absens, et

non citatus, per Papam fuisse condemnatus; ergo. Respondent nonnulli, quos tacito nomine Glossa in utroque loco allegat, etiam ibi intervenisse citationem. Verum, quia hæc responsio ex littera non colligitur, hinc ipsa, veluti voluntarie data, dimissa.

71. *Solvuntur jura, ubi absens, et non citatus, videtur per Papam condemnatus.* — Respondetur, in dictis casibus ideo Papam processisse contra absentem, et non citatum, quia ibidem hinc de crimine, illinc de subreptione liquido constiterat, atque certum fuerat, quod absenti nulla competeret exceptio, sive defensio. Atque hæc responsio clare colligitur ex textu: nam in cit. can. *Scelus*, 2, q. 1, dicitur, « quod scelus, quod Lotharius rex in duabus foeminis commisit, omnibus manifestum est. » Sicut et in d. c. *Cum olim*, § fin. habetur, quod de commissa per Archidiaconum (idecirco ibi condemnatum) subreptione liquido constet.

72. *Si evidenter constat de crimine, simulque certum est nullam reo posse competere defensionem, non requiritur alia citatio.* — Porro, quando evidenter constat de crimine, simulque certum est nullam reo posse competere defensionem, quod tunc non requiratur citatio ipsius rei, licet absentis, recte notat Abbas in cap. 1, n. 4, *de Causa possess. et propriet.*, et c. *Cum sit Romana*, n. 32, *de Appellat.*, citans Innocentium c. *Quando, de Translat. episc.*, et alii. Atque istud, præter jura in objectione adducta, probatur tam ex l. II, ff. *de Administ. rerum ad Civitat. pertinent.* ibi: « Idque et si contra absentem pronuntiatum est, inanis querela est, » juncta Glossa, et Bartolo ibid. Tum ex eo, quia tunc frustra fieret citatio, utpote quæ fit, ut citatus venire possit ad se defendendum: atqui istud impræsentiarum fieri non posse, certum esse supponitur; ergo. Accedit textus in c. *Cum sit Romana*; 5, § *Præterea, de Appellatione*. ibi: « Nisi forte manifestus raptor, vel fornicator existat, sicut ille, quem absentem et irrequisitum Apostolus excommunicavit. » Ubi proinde Glossa fin. concludit, quod in notoriis non est aliquis vocandus in jus, arg. can. *De manifesta*, 2, q. 1, et can. *Statuimus*, 11, q. 1.

73. *Secus ubi absenti potest competere aliqua defensio.* — Additur notanter, « simulque certum est nullam reo posse competere defensionem. » Alioquin enim, ubicumque absenti potest competere aliqua defensio, semper requiritur citatio, etiam in notoriis: alias non valet sententia, arg. cap. ult.

Offic. delegat. in 6, et can. *Caveant*. 3, q. 9, junctis juribus supra, n. 67, citatis.

74. *Concordantur jura juribus quoad hoc.* — Et hac ratione isthæc jura cum aliis, in objectione n. 70 allegatis, sunt concordanda: asserendo, quod hæc procedant, ubi reo potest competere aliqua defensio: priora vero, seu allegata in objectione, locum habeant, ubi evidens est nullam posse reo competere defensionem.

75. *Semel rite citatus, si dicat se nolle venire, an iterum sit citandus? Remissive.* — Posset hoc loco ulterius quæri, an semel rite citatus, si dicat se nolle venire, iterum sit citandus? Verum de hoc commodius, simulque de Dolo et contumacia, § 4, n. 115 et seqq. Ibi videatur.

§ III.

DE CITATIONE EDICTALI, ET REALI, AC EFFECTIBUS CITATIONUM.

76. *Edictalis citatio non indistincte, ac pro libitu judicis permittitur.* — Quæritur I. In quibus casibus locum habeat edictalis citatio; hoc est, ea quæ publice fit per edictum in valvis templorum, curiarum, aut aliis locis publicis affixum? Resp. I. Modus citandi per edictum non indistincte ac pro libitu judicis permisus est, sed dumtaxat in casu necessitatis, sive quando reus aliter citari non potest. Ita Maranta part. 6. *Speculi aurei*, tit. de *Citatione*, n. 82; Engel tit. de *Libelli oblat.* n. 15; Pirhing tit. de *Foro compet.* n. 213; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 57, n. 1, ac seqq., et communis aliorum. Patet hoc aperte ex Clem. I, de *Judiciis*, juncta *Extravag. Rem non novam, de Dolo et contumac.*, ubi citatio per edictum a pontifice restringitur; ac tunc demum admittitur, quando reus per se, vel per alios procurat, sive impedit, ne ad ipsum pervenire possit citatio; vel quando ob locorum difficultatem hæc ad eum pervenire nequit.

77. *Nec ab ea est incipiendum, quando in personam rei potest fieri executio citationis.* — Concordat textus in c. *Causam*, 3, de *Dolo et contumac.*, et l. *Dies*, 4, § *Prætor ait*, ff. de *Damno infect.* ubi statuitur non esse incipiendum ab edictali citatione, quando in personam rei, vel ad domum habitationis ejus, executio citationis fieri potest: alioquin enim per judicem gravaretur citatus. Et hinc edictales citationes, veluti a jure communi exorbi-

stantes, stricte sunt accipiendæ, neque extendendæ ultra casus speciales in jure expressos.

78. *Habet tamen locum in pluribus casibus.* — Resp. II. Dantur nihilominus plures casus, in quibus edictalis citatio locum habet. Ita communis; et patet inductione, enumerando dictos casus: sic quippe contingit

79. I. *Quando citandus, malitiose se occultat.* — I. Quando citandus malitiose se occultat, aut quoquo modo, sive per se, sive per alios facit, seu procurat, ne citatio ad ipsum pervenire valeat. Textus est in c. *Ex tua*, 11, de *Cleric.*, non *resident.* et cit. Clem. I. de *Judic.* ac *Extravag. Rem non novam, de Dolo et contum.*, et c. *Quoniam*, § *Porro*, juncta Glossa, § *Impedit. Ut lite non contestat.* cum concordantiis.

80. *Aut in domo sua manet clausus, ne citetur. Reo invito non debet quis intrare domum ejus, causa citandi.* — Atque hoc ipsum procedit, quando quis manet clausus in domo sua, nec patitur se videri, ad hoc, ut non citetur: quia tunc in præsentia testium potest affigi edictum citatorium, in janua domus suæ, et perinde habetur, ac si personaliter citatus fuisset. Maranta cit. part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Citatione*, n. 86, post Alexandrum in l. *Plerique*, ff. de *in jus vocando*; Speculator tit. de *Citatione*, § *Sequitur* n. 16, id probans ex l. *Dies*, 4, § *Prætor ait*, ff. de *Damno infect.* et l. *Aut qui aliter*, ff. *Quod vi aut clam*. Cæterum reo invito non debet quis intrare domum ejus causa citandi, seu vocandi eum in jus: quia faceret ipsi injuriam, l. *Plerique*, juncta Glossa fin. ff. de *in jus vocand.* et l. *Is qui in domum*, ff. de *Injuriis*. Fiat ergo denuntiatio ante fores. Speculator loc. cit., n. 17.

81. II. *Quando locus, ubi quis citandus foret, non potest tuto adiri.* — II. Quando locus, ubi quis citandus foret, non est tutus; hoc est, propter vigentem hostilitatem, vel ob subortas inimicitias, aut alia impedimenta, tuto ac libere adiri non potest ad faciendam ibi citationem: nam tunc debet fieri citatio per edictum in locis vicinis, illudque in talibus locis affigi, ubi versimiliter citatio ipsa ad notitiam citati valeat pervenire; prout statuitur in Clem. un. de *Foro compet.* et Clem. *Causam, de Election.* cum similibus. Et hoc plerumque tunc accidere solet, quando vel integra aliqua respublica, sive civitas, vel potens quispiam citatur dominus, ob cujus, suorumque adhærentium potentiam plerum-

que non patet tutus accessus nuntiorum, qui deberent exequi citationem, præsertim, si hæc procedat ex causa odiosa: quia tunc vel non admittuntur illi nuntii, vel quandoque etiam captivantur, sive arrestantur; ac proinde sufficit, consultumque est, ut citatio fiat per edictum in locis vicinis, per jura citata.

82. *Et quid, si nuntius non intromittatur in civitatem ad faciendam ibi citationem?* — Declarat istud notabili casu Gailus lib. I. *Practic.* observat. 55, dum nuntius citationem executurus contra citandum, non fuit a custodibus civitatis intromissus; et cum petisset citandum evocari, etiam hoc ipsi fuit denegatum: unde citationis formulam portæ civitatis affixit, atque discessit. Nam quia nuntius officium suum fecerat, nec steterat per ipsum, quominus executio citationis ad domum, vel in personam citandi facta sit, sufficiebat, quod citatio eo loci affixa fuerit ubi verisimiliter ad notitiam citati pervenire poterat, Clem. I, et doctores, et ibid. de *Judic.* Rota, decis. 6, de *Dolo et contumac.* in novis per totum.

83. III. *Edictalis citatio habet locum, quando citandus est vagabundus.* — III. Citatio edictalis habet locum, quando citandus est vagabundus. Et quidem, si is non habeat certum domicilium, tunc edictum citatorium debet affigi in illa civitate, vel loco, ubi vagabundus solebat conversari, l. *Dies*, 4, § *Prætor ait*, ff. de *Damno infect.* Si vero vagabundus alicubi habeat certum domicilium, debet affigi edictum citatorium in porta domus suæ; idque in præsentia duorum aut trium testium, vel notarii publici, per textum in cit. l. *Dies*. § *Prætor ait*: et § *Toties*, ff. eod. ac tradit Maranta d. part. VI, tit. de *Citatione*, n. 83, post Baldum in l. *Ut perfectus*. C. de *Annal. except.*

84. IV. *Et quando contradictor est incertus.* — IV. Si contradictor est incertus: quia tunc per edictum citantur omnes in genere, quorum interest; uti fit in cap. ult. de *Election.* in 6, ubi post electionem celebratam, per edictum generaliter in Ecclesia, ubi ea facta est, citari jubentur omnes illi, si qui adsint volentes sese opponere dictæ electioni, ut compareant intra terminum præfixum. Concordat cap. ult. *Qui matrimonium accusare poss.* ubi banna, seu denuntiationes matrimoniorum contrahendorum, in Ecclesiis fieri dicuntur, ut, qui impedimentum noverit, illud debito tempore objiciat; si vero denun-

tiationis tempore tacuerit, repellatur ab accusando postmodum matrimonio, demptis casibus ibidem expressis. (ADNOTATIO XXXVII.)

85. *Et quando in genere citantur omnes, quorum interest.* — V. Citatio per edictum obtinet, quando in genere citantur omnes, quorum interest; prout desumitur ex l. *Si eo tempore*, C. de *Remission. pignor.* ibi: « Si eo tempore, quo prædium distrahebatur, programme (hoc est, scriptura publica proposita) admoniti creditores, cum præsentessent, jus suum executi non sunt, possunt videri jus suum amisisse. » Et hac ratione creditores alicujus forsitan ex tali loco discedere volentis, quando ipsi sunt incerti, possunt citari per publicum edictum, sive proclama, ut certo tempore coram legitimo giudice compareant, ibique creditum suum proponant, atque deducant; alioquin vero ipsis perpetuum silentium imponatur. Felinus in c. *Cognoscentes*, n. 9, de *Constitut.*, et c. *Quoniam frequenter*, n. 14. *Ut lite non contestat.* Speculator, tit. de *Citatione*, § *Sequitur*, n. 19, et alii.

86. *Cautela singularis pro emptoribus castrorum, etc., ad præcavendam horum evictionem; et pro adevntibus hæreditatem suspectam.* — Addit Gailus d. lib. I. *Practic.* observat. 57, n. 7, post Romanum, consil. 53, n. 3, et alios, hanc esse singularem cautelam pro emptoribus castrorum, vel prædiorum, ad præcavendam horum evictionem, ut publicis edictis curent citari omnes, qui sua interesse ibique aliquid juris sese habere putaverint, sed comminatione perpetui silentii. Atque ob eandem rationem potest fieri citatio per edictum ratione incertitudinis debitorum a defuncto contractorum; si quis beneficio inventarii velit adire hæreditatem suspectam, et de certis creditoribus non constet, per jura et doctores hactenus allegatos. Tacentur nonnulli alii casus, in quibus potest fieri citatio per edictum, quorum universim tredecim enumerat Maranta cit. part. VI, tit. de *Citatione*. a n. 83 usque ad n. 95, post Baldum in l. *Etiam*. C. de *Execut. rei judicat.*

87. *Modus citandi per edictum competit solum judicibus ordinariis, ac per principem delegatis.* — Solummodo præmissis adde, quod modus citandi per edictum competit dumtaxat judicibus ordinariis, atque delegatis a principe. Auth. *Qui semel*. C. *Quomodo et quando judex*, etc. juncta Auth. de *Litigiosis*. § *Si vero*. collat. 8, ubi solum judicibus